

praefata anno domini millesimo trecentesimo duodecimo II<sup>o</sup>. Kal. Augusti in nostra praesentia.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.

No. 82. 1312. 8. Oct.

*Probst Ludwig und der Convent des Moritzklosters zu Naumburg sichern dem Thomaskloster zu, dass das Gedächtniss der verstorbenen Angehörigen ihres Klosters in derselben Weise begangen werden solle wie dieses selbst das Gedächtniss Verstorbenen des Moritzklosters begeh.*

Reverendis et in Christo multum dilectis fratribus suis praeposito, priori et conventui ecclesiae sancti Thomae in Lypez L. dei gratia praepositus, H. prior totusque conventus monasterii sancti Mauritii in Nuenburg cum orationibus indefessis sinceram in domino caritatem. Litterarum vestrarum perlecta congerie cognovimus vestros animos in Christi militia strenuos erga nos et nostram ecclesiam pia intentione et pervigili in spiritualium donorum ac temporalium prosecutione ex summae caritatis influenza et ferventi desiderio occupatos, quod patet liquido dum vos non solum ad viventium verum etiam ad decedentium nostrorum fratrum memoriam peragendam devotissime obligastis, promittentes quocumque die obitus noster ad vos devenerit in capitulo recitabitur et psalmi Verba mea auribus cum reliquis pro eo legentur, memoria vero defuncti agetur in communi XXX<sup>a</sup> diebus cum XXX<sup>a</sup> missis et vigiliis si vacaverit totidemque praebendis, singuli vero sacerdotes dicent VII missas, diaconi, subdiaconi emancipati legent tria psalteria, fratres conversi CCCC<sup>a</sup> et L. Pater noster, sorores quae sciunt legere dicent tria psalteria, quae nesciunt legere faciant ut conversi. Omnia quae praedicta sunt fiant pro clericis tantum et etiam pro pueris licet sint in scolis, pro conversis vero et sororibus fient in communi omnia quae praemissa sunt, scilicet in missis vigiliis praebendis et Verba mea, sacerdotes dicent tres missas, diaconi, subdiaconi psalterium, fratres et sorores faciant ut superius est praemissum. Quare vestrae reverendae fraternitati cum gratiarum actione multiplici humiliter assurgimus et fideliter promittimus in his scriptis, quod ad obsequia hactenus vobis per nos minus exhibita promtiores inveniri volumus et ad defunctorum vestrorum fratrum memoriam peragendam secundum formam praescriptam firmiter obligamus, cuius obligationis et verae fraternitatis firmitatem corroboret qui coeli terraeque regna solus mirabiliter continet et tuetur. Acta sunt haec anno domini M<sup>o</sup>.CCC.XII<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup> Idus Octobris. Ut autem praescripta illibata permaneant, nostris sigillis praesentem litteram communimus.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit zwei beschädigten Siegeln an Pergamentstreifen.